

.xxvii. ITEM ALIA .

Factum est autem postquam  
emundasset iesus templum suum ab omnibus scan-  
/56v/dalis . accesserunt ad eum caeci et claudi et omnes male  
habentes et sanauit eos . Uidentes autem principes  
sacerdotum et scribae mirabilia quae fecit . et pue  
ros clamantes in templo et dicentes . Ósanna filio  
david indignati sunt et dixerunt ei . Audis quid  
isti dicunt? Principes et scribē et pharisei et inuidi  
iudaei . doemones significant . qui semper cupiunt  
nocere laudantes et magnificantes deum . Pueri  
autem clamantes in templo . demonstrant sacerdo  
tes . qui semper laudant uoce magna dominum . Iesus autem  
dicit illis . Vtique . Non legistis quod scriptum est in lege?  
quia ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem .  
O quam moderata est respontio . patientiam quę ab  
omnibus tenenda est contra inuidiam demonstrans .  
non dixit quod scribē audire ab eo cupiebant . ut di  
ceret . Benefaciunt pueri . ut mihi testimonium perhi  
beant . nec rursum dixit quia pueri sunt debetis ἐταὶ  
ignoscere . non duo hēc protulit quę audire cupie  
bant . sed exemplum de octauo psalma monstrauit .  
ut tacente domino testimonium scripturarum . puerorum  
dicta firmaret . Hieronimus dicit . Plerique arbitrantur  
maximum signorum esse quod lazarus suscitatus est . quem  
saluator iam quattuor dies in monumento haben  
tem uerbo tantum suscitauit dicens . Lazare ueni  
foras . et statim prodiit qui fuerat mortuus ligatis  
pedibus et manibus . et dixit iesus . Soluite eum et sini

te abire . et statim exiit sanus in domum suam .  
Alii putant maximum esse quod qui cæcus natus est  
/57r/ ex utero lumen acceperit . faciente domino lutum exsputo  
in terra . et liniuit lutum super oculos eius dicens .  
Uade et laua in natario syloe abiit ergo et lauit .  
et uenit uidens et credidit deo . et iterum alii esti  
mabant . quod ad iordanem uox audita sit patris  
baptizato domino dicentis . Hic est filius meus dilectus .  
in quo mihi bene complacui ipsum audite . Et rursum  
quod assumpto petro et iacobo et iohanne secum  
in montem excelsum seorsum . gloriam ostenderit  
triumphantis . et resplenduit facies eius sicut sol .  
uestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix .  
et ecce apparuit eis moyses et helias cum eo loquen-  
tes . Ut autem aposto`lo`rum augeret fidem et firmiter  
crederent in eum . Hoc dedit iesus signum de cælo .  
Helia inde descendente quo concenderat . et moy  
se ab mferis<sup>i</sup> resurgente quo exierat . quod per isaiam  
prophetatum est dicentem pete tibi signum a domino deo  
tuo in profundum mfernī<sup>ii</sup> . siue in excelsum supra .  
Michi autem hoc uidetur esse mirabilius inter omnia  
signa et mirabilia quę fecit quod unus homo et in illo  
tempore in iudeis contemptibilis . ut postea ab eis  
crucifixus est . Potuerit de uno flagello tantam  
eicere multitudinem . mensasque subuertere . ca  
thedras confringere . et alia facere quę infinitus  
non fecisset exercitus . Nimirum . species enim ignea  
atque caelestis radiabat ex oculis eius . et diuinitatis  
maiestas fulgebat in facie terribiliter contra iudeos .  
Colligerunt ergo pontifices et pharisaei concilium  
/57v/ et dicebant . quid facimus quia hic homo multa sig

na facit? si dimittimus eum sic . omnes credent in eum .  
et uenient romani . et tollent nostrum locum<sup>iii</sup> et gentem .  
Unus autem ex ipsis caiphas cum esset pontifex anni  
illius et dixit eis . Vos nescitis quicquam nec cogita  
tis . quia expedit uobis ut unus moriatur homo  
pro populo . et non tota gens pereat . Hoc autem a se  
metipso non dixit . sed cum esset . pontifex anni illius  
prophetauit . quia iesus moriturus erat pro gente .  
et non tantum pro gente . sed ut filios dei qui erant  
dispersi congregaret in unum . Ab illo ergo die . cogita  
uerunt ut interficerent eum . Iesus autem relictis  
illis abiit foras extra ciuitatem usque in betha  
niam . Hoc autem intelligendum est fratres karissimi et re  
uelandum . quod tantę in illo die fuerit pauper  
tatis . ut in urbe maxima nullus eum ciuium susce  
perit hospitem . Nullamque mansionem inuenire  
rit in ea . et tamen nulli eorum adulacionem fece  
rit . Vt non mala sua illis annuntiaret . et quod  
eis perficeret ad salutem . Hoc quidem sacerdotibus  
prefigurans ac demonstrans . ut licet munera  
et dona principum ammitterent . non permitescant  
uera illis annuntiare . nec sileant dicere quae  
proficiant eis ante tribunal christi in die iudicii .  
Ibique mansit . Id est apud lazarum sororesque eius .  
quem pridie a morte suscitauerat . quia in israel perma  
nere non potuit . Hoc quidem significans . quod  
gentiles relictis iudeis ex tunc conuerteret  
/58r/ ad fidem . Sicut alibi scriptum est . Quando conuer  
sa fuerit multitudo gentium . tunc omnis israel saluus  
erit . Hoc quoque sciendum est fratres karissimi . quod mistice  
surrexit iesus hodie a bethania . et iterum rediit ad

eam . Quia bethania domus oboedientię interpre  
tatur . hoc quidem significat quod semper deside  
rat permanere in corda subiectorum . et requiescere  
in illis . Et ideo oportet nos bethaniam semper esse  
deo . Id est domum oboedientiæ . ut semper nobiscum  
maneat semper in nobis habitat . Sicut apostolos  
ait . Templum dei uiui estis . et spiritus sanctus habitat  
in uobis . Haec nobis prestare dignetur sal  
uator mundi . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et reg  
nat . in saecula seculorum . amen .

<sup>i</sup> mferis] *sic pro* inferis

<sup>ii</sup> mfernī] *sic pro* inferni

<sup>iii</sup> locum] *corr. from* locam